

Duorum locorum simul longitudine & latitudine differentiū, itinerariā  
am distantiam Geometricè per instrumentum hoc capere.

**D**ifferentiam longitudinum datorum locorum reduc ad gradus & minuta æquatoris in parallelo maiori dictorum locorum, iuxta capituli 1. doctrinam, deinde quære iam reductos gradus & minuta in uno latere gnomonis aut A. B. uel A. C. ubicunq; enim numerus dictorum graduū & minorum reperitur, ibi pone notam unam. Postea quære etiam differentiam latitudinum in gradibus & minutis in reliquo latere gnomonis, ad cuius etiam finem fac reliquam notam. De hinc pone pedem unum circini in unam notarum iam factam, reliquum extendendo in notam alteram alterius lateris, & circino in compresso, pone pedem unum eius in A. punctum reliquum applicabis scalę miliariorum, quoniam eius tactus ibidem numerum ostendit in germanicis ac etiam ptholemaicis miliaribus inter dicta loca. Exemplum, Nurmberga & Neapolis habent differentiam longitudinum graduum 8. minorum 30. Latitudinum etiam differentia eorum est similiter graduum 8. minorum 30. Aequata ergo differentia longitudinum in maiori parallelo 40. scilicet graduū, minorum 30. quoniam minor latior est 49. graduum, eo quod distat ab æquatore: est graduum 6. minorum 30. ferè. Nunc pono unum pedem circini in gradum 8. minutum 30. differentiam scilicet latitudinum in uno latere gnomonis, reliquum uero in grad. 6. minut. 30 reductos, ad reliquum latus gnomonis, & circino non compresso applico pedem unum in A. punctum, reliquum uero sinistro lateri gnomonis apud scalam miliariorum, & reperio ibidem 160. miliaria germanica, Ptholemaica siue Italica 640.

Data differentia latitudinum duorum locorum cum eorum itineraria  
distantia, differentiam graduum longitudinum dicto-  
rum locorum, per hoc metheroscopium  
subtiliter reperire.

**A**ccipe in scala miliariorum distantiam itinerariam duorū locorum pro-  
positorum mediante circino, & eo non compresso pone pedem unum  
circini eiusdem in gradum & minutum differentię latitudinum, lo-  
corum in uno latere gnomonis reliquum uero pedem circini ad alte-  
rum latus gnomonis ita inuariatum applica, notando ibidem gradum  
& minutum à reliquo pede circini tactum. Hunc gradum & minutum ita reper-  
tum quære in gradibus & minutis segmenti æquatoris, & supra eundem gradum  
& minutum protende filium instrumenti. Ducendo tamen prius margaritam siue  
nodulum fili ad maiorem parallelum duorum dictorum locorum, & quemcunq; gra-  
dum & minutum margarita siue nodulus fili tetigerit in eodem maiori parallelo,  
hic erit gradus & minutum differentię longitudinum dictorum locorum. Exem-  
plo accipe: Nurmberga & Neapolis distant per 160. miliaria germanica differen-  
tia earum latitudinum est graduum & minorum 30. Volo scire differentiam lon-  
gitudinum eorum. Quare si pedes circini per 160. miliaria scalę huius instrumenti  
extendo, & demum unum pedem eiusdem extensionis in differentia graduum la-  
titudinum 8. minorum 30. in uno latere gnomonis applicuero, tunc si duxero re-  
liquum pede circini huius extētionis ad reliquum latus gnomonis, tanget tunc idem  
pes grad. 6. mi. 30. Hos quæro in segmento, uel circulo æquatoris, nodulo uel mar-  
garita antea maiori parallelo dictorū locorum, scilicet gra. 40. mi. 30 applicato, tunc  
idem nodulus feriet gradum 8. minut. 30. in hoc maiori parallelo, & est differentia  
graduum